



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorm Detestationem,  
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1649**

§. 15. S. Spiritus suanißima consolatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49161)

luminat in intellectu, ardet in voluntate, in qua magnum excitat de peccatis dolorem, & vehemens efficit desiderium salutis; & quidem adeò efficaci validoque impulsu; vt tollat omnem mentis tarditatem, summaque celeritate currere, immo volare faciat accensum, vt se eripiat è statu malo, in quo hæserat, (*quemadmodum cervus*, qui serpentem deuorauit, aut quem canes, persequuntur) reperiatque fontem viuum gratiæ, atque à peccatorum suorum veneno, crudeliumque hostium persecutione liberetur. Hoc modo, post multas longasque moras, & tergiuersiones, tandem fraternis facibus inflammatus festinauit desperatus ille adolescens, tantoque properantiùs festinauit, quanto mortem vidit in limine sibi adesse viciniorem.

XV.  
S. SPIRITVS  
SVA-  
VISSIMA  
CONSO-  
LATIO,

Neque sanè serò. Quippe, cùm, peractâ peccatorum accuratâ confessione, sumtoque SS. Eucharistiæ Sacramento, extremamque ad luctam sacro oleo inunctus, vltimam vitæ suæ horam, in omnia temporis momenta, præstolaretur; ecce tibi, nocte tertia, alius se illi quispiam veneranda specie vir conspiciendum præbuit, duobus, qui præcesserant, vultu haud dissimilis; stola candenti amictus; cuius humero niuea & argentei fulgoris columba

lumba infidebat. Hic lecto propinquior factus, mitissimis oculis, ægrum intuebatur, & vultu suavissimè renidenti. Quo aspectu animosior iuuenis, *O Domine*, inquebat, *quisnam tu es, qui me terroribus præteritarum notitium exanimatum inuisere, ac tam amabili vultu solari non dedignaris?* Cui ille: *Ego sum S. Spiritus, qui à Patre Filioq; procedens, eiusdem sum cum illis potentie ac diuinitatis; atque idcirco ad te veni, ut tibi significem, remissa esse tibi peccata tua, iamq; tibi celestis regni portam pate*re. Hac tam consolabili allocutione, ægrotus velut ex abyssu desperationis sese erigens, vocalissimè cœpit, ex imo pectore exclamare: *ô verè Pater pauperum! ô consolator afflictorum! ô dulcis hospes anima! ô mirabile refugium omnium arumnosorum!* *Quid hoc est, quod audio? Mihi né cœlestia regna pateant, cui & Pater, & Filius aternam damnationem decreuerunt? cui Tartarum, cui flammæ inextinguibiles sunt comminati? neque immeritò. ut à quo toties, tamq; nefandis sceleribus offensi fuerunt? Itané illud iustum, infallibile, & diuinum iudicium, a quo nec exceptio, nec appellatio ulli datur, tam exigua mea pœnitentia potuit mitigari?* Ad quæ S. Spiritus denuo respondit: *Fili, bona mente esto, neque de salute tua quidquam*

quam ambige: magnam enim vim habet vera poenitentia; flectit illum, cui omne genu flectitur; vincit omnipotentem & omnia vincentem; mutat quodammodo immutabilem, & placat iratum Deum. Atque ut uno verbo multa te doceam; persevera in coepta poenitentia via: testamento tibi tuisq; provide maturè pieq; condito: pectus tuam virtutibus imple; & , dum lucem habes, quantum potes, salutem tuam operare. Post triduum ad te veniemus, animamq; tuam, cum triumpho, in caeleste gaudium introducemus. His dictis, disparuit. Vaticinij, ac promissionis veritatem euentus probavit.

#### PARS SECUNDA.

XVI.  
HISTO-  
RIAE SV-  
PERIORIS  
DOCV-  
MENTA.



Vis, ex hac historia, velut è fertilissimo horto, non varios fructus colligat? 1. Discimus, nullum Spiritu S. esse praestantiozem consolatorez. Cur ergo ad eum, tam raro, tam tepide, tam tarde recurrimus? cur fallacis mundi solatia tanti facimus? quaerimus? & anteponimus optimo consolatori? *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine.* 2. Discimus SS. Trinitatis personas agnoscere, & venerari. 3. Discimus Dei vias, qui hominem peccatorem, etiam *ex invito volentem facit,* &